

INAUGURAL DISSERTATION OF THE FOUNDER OF THE UNIVERSITY
OF MARYLAND

79. DAVIDGE, JOHN BEALE. *Dissertatio Physiologica, De Causis Cata-
meniorum.* 27pp., 12mo, new boards. Birminghamiae, 1794.

"One of the most distinguished and useful of our early American surgeons." *Mumford.*

Davidge was the first attending physician to the Baltimore General Hospital; his most important operations were amputation at the shoulder-joint soon after 1792; ligation of the gluteal artery for aneurysm; ligation of the carotid artery for fungus of the antrum, and total extirpation of the parotid gland.

This thesis is dedicated to Drs. James and William Murray, of Annapolis, with whom Davidge began the study of medicine, before going to Edinburgh.

C. G. Stevenson

Dissertatio Physiologica,

DE

CAUSIS CATAMENIORUM.

AUCTORÈ

JOANNE BEALE DAVIDGE, M. A. M. D.

CAUSAS RERUM NATURALIUM NON PLURES ADMITTI DEBERE, QUAM
QUÆ ET VERÆ SINT, ET EORUM PHENOMENIS EXPLICANDIS SUFFI-
CIANT.

Newton.

BIRMINGHAMIÆ,
EX OFFICINA T. PEARSON.

MDCCXCIV.

MEDICIS

JACOBO & GULIELMO MURRAY,

Sub quorum auspiciis,

Primum fundamentum jecit,

Exercitantibus medicam artem

Cum debita laude,

De Amapolis,

Summæ charitatis pertenuæ signum,

Hoc opusculum,

Dedicat

Confecratque

A U C T O R.

ERRATA.

P. 8, l. 17, pro *sanquinis*, legito *sanguinis*.

P. 17, l. 16, pro *annino*, legito *omnino*.

De Causis Catameniorum.

INTER plurima, de re medicâ, argumenta, quod ex iis, hac in dissertatione, feligerem, quodque, optimo cum successu, tractare possem, diu et multum dubitavi. Omnibus vero rite ac confiderate perpensis, pauca de Catameniis proponere mecum statui. Quibus ex causis oritur hic sanguinis fluxus, certo ætatis tempore, vel quid sit naturæ huic respondens consilium, in corpore feminino, nemo adhuc, sive medicus, sive physiologus, pro certo dicere ausus est. Inter facultates aut functiones corporis humani nulla est de quâ difficilior ratio reddi potest. Multi quidem physiologi, tum veteres, tum recentiores, ad hanc rem explorandam, operam dederunt: ibi vero, me saltem iudice, labor eorum omnis effusus est, si quas in lucem ediderunt hodierni observationes excipiantur.

Nihil quidem, de hac re, novi, pauca tantum, quibus sententias Hunteri, Denmani aliorumque

medicorum stabilire et confirmare possumus, in animo est mihi proferre. Hoc modo igitur ut spero, ex memoria hominum detrahere et oblivioni æternæ tradere istas opiniones falsas æque ac absurdas quæ tamdiu animis eorum arrisere, nonnihil valebo.

Inter tot tamque diversas opiniones, quarum nonnullæ a viris illustribus traditæ sunt, quid sit verum, quid falsum, ut juvenem et tyronem decet, explorare conabor. Rem vero religioni non habebō, quod interdum a sententiis medicorum etiam clarissimorum discederem. Me hisce verbis utente, quin invidiam, forsitan et contumeliam mihimet paravero, haud incertus sum. His autem magis ire obviam, quam falsum pro vero positum indecoro silentio præterire volo. Hujus rationem fluxus reddere vel potius attentionem nominum ad rationes exquerendas incitare, mihi consilium est. Propter sententias ab aliis diversas, hac in dissertatione prolatas, me facere insignem, si possit fieri, non in animo est. Ne quis igitur mihi vitio vertat, si opinionibus aliorum non semper accederem. Quâ modestiâ viriumque suarum diffidentiâ uti juvenem decet, suam de rebus omnibus non minus quam medicis, sententiam in lucem prodentem, non omnino ignoro. Hic vero recordari nos oportet, tyrones sæpe ac imperitos, quæ maximo sunt usui vitæque humanæ accommodatissima, multa feliciter

feliciter invenisse. Hanc tamen rem adeo obscuram non confidentissime aggredior. Quod si quæ dicenda sint, ad justas causas mensium fluxus, vel, ut jam dixi, animos hominum eas explorare quoquomodo ducant, fatis habeo.

Non ab re alienum videbitur, observationes tradere perpaucas de sententiis eorum qui de Catameniiis scripserunt. Imprimis autem, de signis et mutationibus quæ primum mensium fluxum præcedunt et comitantur, pauca præmittere necesse erit.

Vix dicere possum, an alia ulla in natura sit operatio, varios inter ordines sive plantarum sive animalium, quæ tam varios tamque diversos edit effectus, quam quas subit puella mutationes tempore pubertatis. Totum fere corpus mutatur. Forma puellæ universa magis fit gracilis, crescit magnitudine uterus, pubes venit, mammæ efflorescunt, pulchrior renidet vultus, splendent oculi, incessus, gestus, sermo, omnia denique fiunt magis decora.

Tempus, quo primum menses erumpunt, non omnibus idem est; variat enim regionis temperie, vitæ conditione forsitan et multis aliis causis. Maturius pubescunt puellæ in regionibus calidis, in fri-

gidis vero tardius. In regionibus calidis, menses quoque multo citius quam in frigidis sese manifestant. Hoc, puellis Asiaticis annum ætatis octavum vel nonum agentibus, accidere dicitur: quo tempore, fœminæ fiunt, priusque matres factæ sunt, quam annum ætatis decimum compleverint. In regionibus frigidis multo serius accidit, neque, exceptis paucissimis exemplis, primum se ostendit ante annum ætatis viceesimum.

Quantum variat tempus quo primum eveniunt menses, in diversis regionibus, tantum variat quantitas sanguinis ejecti. In regionibus frigidissimis, tres uncias, in calidioribus usque ad sexdecim, per mensium fluxum, mulieres amittunt. Certam pro regionis situ proportionem ratam spectat hujus fluxus quantitas. In his regionibus, nempe in Britannia, sex vel octo unciaë sanguinis, singulis mensibus, hoc modo, fluere censentur.

Puellæ Britannicæ, sanâ valetudine fruentes, circiter annum ætatis decimum quartum vel quintum, primum mensium fluxum patiuntur. Quo tempore, languor et lassitudo insolita, pandiculatio, dolor lumborum, ventriculi, et capitis, vertigo, nausea, interdum et vomitio, tumor mammarum aliquando et dolor, aliaque his signa similia puellam fatigant. Hæc signa jam recensita mensium fluxum
in

in genere præcedunt, durantque nisi per intervalla brevia, donec sanguis ex cavo uteri prorumpit. Si vero, hoc tempore, aliquid exitui ejus per uterum obstet, fluxus est ex naribus, pulmonibus, ventriculo, ano, oculis, gingivis, mammis, umbilico, minimo manus digito, aliquando et aliis infuetis corporis partibus*.

Sanguinem, ex utero, tempore mensium fluentem, esse sincerum, putaverunt nonnulli. De hac re, autem, maxime dubito: alii enim, hunc sanguinem menstruum non esse coagulabilem, neque ullam habere similitudinem sanguinis sinceri naturæ, nisi colori ejus, asseruerunt. De his, autem, mox plura dicenda sunt.

Hic sanguinis fluxus, mulieribus per magnam vitæ partem naturalis est, et valetudini earum maxime necessarius, singulis mensibus occurrit, si uterum non gerunt, quo tempore, rarissime se manifestat. Non defunt qui, menses, more solito, per totum graviditatis tempus, permanisse memoriæ tradiderunt. Sed paucissimis in exemplis, quibus res ita sese habuerunt, tale profluvium pro hemorrhagiâ morbidâ censeri debetur: forsitan et ex arteriis uterinis minime effunditur, sed ex vasis in vaginam

* Vide De Graaf, page 129.

hiantibus.

hiantibus. Satis enim constat, quo tempore, conceperit mulier, os uteri, materiâ mucosâ, occlusum esse. Sanguis igitur, more mensium solito, ex cavo uteri gravidi, fluere non potest. Hujuscemodi profluvia, maxima, tenero embryoni, incommoda, mortemque, fortasse ipsam, afferrent.

Menses, quo ex tempore, mulieribus primum contingunt, certis intervallis redeunt, perque trium, quatuor, aliquando et sex dierum spatium fluentes, vix ante quadragesimum quintum et fere ante quinquagesimum ætatis annum desinunt. Sed quibusdam in casibus ad provectiorem ætatem fluere perstant. Non desunt exempla, quamvis rarissima, quibus menses sub pubertatem proruperunt. Medicus ille Alexander Monro pater, de quâdam puellâ, mentionem fecit, cui menses occurrerunt, tertio quidem anno ætatis*.

De Causis Excitantibus.

DE mensium causis, varias multumque inter se diversas opiniones, in scriptis medicorum, invenimus. Multa quidem vana et futilia,

* Vid. page 422.

tum de causis, tum de effectibus eorum, tradiderunt physiologi. Causæ eorum, ut quibusdam visum est, ex cursibus lunaribus deducendæ sunt. Alii, autem, probare conati sunt, eas in bile existere. Plerique, vero, inter recentiores, medici, de hac re, disceptantes, vel ex congestione sanguinis uterini, vel plethorâ corporis universali, vel partibus corporis jam evolutis, vel arteriarum densitate, causas quæsierunt. Hodie quidem, multi, menses oriri, ex unâ vel alterâ harum causarum quas nunc enumeravi, se habent persuasos. Nostro autem iudicio, qui putant, menses esse secretionem ex arteriis uterinis, quæ pendet ex conditione ovariorum peculiari, propius ad veritatem accesserunt. Nunc vero, pauca, de rationibus, quibus, suas, de hac re, opiniones confirmare potuerint medici, in lucem proferam.

Vix opus est verbis, opinionem refellere, de lunæ effectibus in mensibus ciendis. Si enim luna hoc efficere valeat, mulieribus omnibus, eodem fere tempore, menses contingerent. Sane res ita non fiunt. Namque, omnibus cursus lunaris temporibus, hunc mensium fluxum pati solent mulieres. Igitur, quam medicus Mead male finxit, de vi lunæ pro mensium causâ, opinionem ut falsam æque ac absurdam rejicere debemus. Quare autem, rogare volo, menses non fluunt ante annum
 ætatis

ætatis decimum quartum vel quintum, atque post quinquagesimum definunt, quoniam corpus fœmininum, per totum vitæ spatium, vi lunæ eâdem semper afficiatur? Hic, ut mihi videtur, homines ad vana fingenda, quam ad rerum naturam investigandam proniores, opinionibus tam absurdis fidem habere adducti sunt.

Alii vero physiologi, hac de re, disceptantes, hoc errore relicto, in alium abierunt. Scyllam cupientes evitare, in Charybdim inciderunt. Opinionem, menses originem ducere ex nimia bilis copia vel ex natura bilis peculiari, non vero rationibus validioribus, neque observationibus magis certis, quidam protulerunt. Sed ut supra dixi, plura facere verba, has opiniones esse falsas ostendere, non erit neccesse.

Ad aliam, de mensium causis, opinionem, animam advertamus. Menses, ut quibusdam videtur, ex congestione sanguinis in uteri vasis, oriri censentur. Medici vero hanc opinionem proferentes, quo pacto fit, ut hæc sanguinis congestio, quæ, parvis incrementis in molem facta, certissimis intervallis prorumperet, non nobis dixerunt. Pro certo habeatur, ut plethora in aliqua corporis parte partialis brevi fiet universalis. Nunc autem de hac plenitudine

tudine corporis universali, a plerisque hominibus pro mensium causis habitâ, fusius dicam.

Pauci quidem ante tempus præclari Culleni, hanc opinionem ita investigaverunt, ut rei adeo obscuræ multum lucis attulerunt. Cullenus vero ipse, quamvis, acumine ingenii solito, hanc rem explicare conatus est, tamen caligine atrâ obvolutam reliquit. Sententiam ejus pro merâ hypothefi habere oportet: tamen lubentissime concedam esse hypothefin ingeniosissimam. Afferit ille uterum esse evolutum post alias corporis partes; et igitur hæ partes sanguini a corde demisso resistentes, in laxa vasa uteri eum nempe sanguinem determinant; hæc vasa cedentia impetui sanguinis impingentis, donec tandem rumpuntur, exitusque ad sanguinis fluxum datur; atque, ut ait ille, alia fit accumulatio per mensis spatium. Sic ille differuit. Sed haud scio unde oritur hæc nimia sanguinis abundantia quæ mulieribus omnibus in eâdem regione degentibus, eodem ætatis tempore, congeritur, et singulis mensibus fluere perstat, donec arteriæ uterinæ tam firmæ densæque factæ, sanguinis exitum omnino impediunt.

Ad opinionem eorum qui putant mensium causas oriri, ex plenitudine corporis quæ a quadam conditione ovariorum pendet haud facile accedam: neque

neque aliam plenitudinem præter naturam, in corpore existere, credere possum.

Cæterum, affirmat Cullenus, arterias uterinas non esse æquales, quoad firmitatem vel densitatem, arteriis aliarum corporis partium, sed laxiores et infirmiores esse: atque satis constat, incrementum omnis corporis partis ex toto pendere a fluxu sanguinis in eam demisso. Uterus vero, putat ille, tardius evolvitur aliis corporis partibus, et hoc tempore, determinatio est sanguinis ad uterum, cujus arteriis impetui sanguinis cedentibus, menses fluunt, et fluere perstabunt, solitis intervallis, donec arteriæ uteri tam densæ et firmæ fiunt, ut sanguini ab aliis corporis partibus demisso resistere valent, quod accidit cum menses desinunt.

Nunc autem observandum est, quam maxime erravit Cullenus, cum rationes, de hac re redderet. Nam si aliæ corporis partes firmæ ac validæ factæ impetui sanguinis resistunt, et eum in vasa uteri laxiora et infirmiora determinant, non possit fieri, ut hæ partes, figuram justam et firmitatem adeptæ, post mensium fluxum magis crescerent. Res vero aliter se habent. Satis enim constat, totum fere corpus muliebri, postquam menses acciderint, magna incrementa accipere, et quibusdam in casibus, quoad formam, figuram et firmitatem multum mutari.

tari. His igitur rite perpensis, fidem opinioni Culleni habere non possum, menses a successione evolutionis, ut dicit ille, pendere.

Ad quam protulit Charletonus, de hac re, opinionem, nunc animum advertamus. Putat ille, menses originem habere a quodam spiritu nitro-aereo. Ejus verba sunt, “ Utut hæc res se habeat, “ mihi quidem verisimile videtur, spiritum nitro- “ aereum in hoc opere choragum esse; habemus “ itaque tandem jam verisimilem saltem, si non “ veram menstrui ardoris in utero muliebri origi- “ nem*.”

Valde miror, quomodo fieret, ut Charletonus, erroribus et falsis sententiis Hippocratis, Galeni aliorumque antiquorum ab illo in lucem prolatis, opinioni tam absurdæ fidem haberet. Hic vero nobis attulit certissima documenta, quo facilius est hominibus, errores aliorum exponere quam veritatem investigare.

Hiscæ igitur observationibus de sententiis aliorum jam traditis, rem, ut se habet, quoad potero, in animo est mihi tractare. Atque ut solent sapientissimi mortalium, quum in rebus dubiis et ob-

* Vide pag. 121, Charlet. de causis Catam.

fcuris investigandis versantur et viam ad veritatem tramite recto, persequi nequeunt, quam habent aliis rebus magis apertis et perspicuis analogiam invenire conantur. Horum exemplo adductus de re adhuc fatis obscura, meam quoque sententiam in medium proferam.

Neminem latet, omnes humani corporis secretiones ex toto pendere a conditione organi fecerentis perfectâ, et prius organum ad conditionem perfectam pervenit, quam secretiones illi proprias perficere potest: cæterisque paribus, quo magis perfecta alicujus organi conditio, eo melius suas præstat functiones. Exempli gratia, conditio peculiaris hepatis, testium et mammarum, pro bilis, feminis, et lactis secretionem, maxime necessaria est. Haud scio, quibus ex causis oriuntur menses, si non signa censentur certa, quibus certiores facti sumus, uterum esse perfectum et ovaria evoluta, atque ad munera sibi propria perficienda, apta. Menses semper fluxerunt, ante quam mulier uterum gerit. Nostro autem iudicio, non pro causis, ut nos docuit Professor Simpson, sed tantum pro signis plenæ pubertatis hic fluxus haberetur.

Ratio igitur in promptu erit, cur menses mulieribus non citius contingunt. Quare, rogare volo, neque semen secernitur pueris, neque lac puellis,
quinto

quinto vel sexto ætatis anno? Huic respondeatur, quia testes et mammæ, organa istos humores fecermentia, ad conditionem perfectam, quâ suis propriis muneribus fungantur, non adhuc pervenerunt.

Sed, ut supra memoravi, nonnulli auctores, tum veteres, tum recentiores se habent persuasos, menses oriri ex plenitudine corporis vel universali vel partiali, quæ, tempore pubertatis maxime valet. Quo fit, ut omnibus puellis certâ ætate, inque eadem regione, menses acciderint, difficile erit ex hac opinione rationem reddere. Satis enim constat, ut puellæ, quamcunque vitam agant, vel qualicunque victu utantur, hunc mensium fluxum patiuntur. Et si quando menses, solito tempore, non fluxerint, tamen naturæ conamina ad hoc efficiendum non annino deficiunt.

Unde igitur oritur hæc corporis plenitudo quæ longe lateque grassatur; cui obnoxix et opportunæ sunt omnes puellæ, cujuscunque temperamenti, sive vitam in urbe aut in rure agerent, sive laute viverent, aut tenui et parcione victu uterentur?

Si autem menses neque ex lunæ imperio, neque bile neque spiritu nitro-aereo, neque ex plenitudine corporis proficiuntur, quibus ex causis oriuntur?

B

Qua

Qua ex causa oritur feminis secretio ex vasis spermaticis? Certe ex conditione testium fœcundante. Eodem quoque modo, mensium fluxus a conditione ovariorum fœcundante pendet. Fluxus iste igitur censeretur debet secretio ex arteriis uteri quibus stimulo est conditio ovariorum perfecta. Joannes Bell eandem opinionem prælectiones suas anatomicas audientibus tradidit.

Professor Monro, medicus celeberrimus, cum sententias de hac re, in suis prælectionibus utilissimis proferret, menses a peculiari ovariorum conditione pendere, asseruit. Idem vir illustris addere vult, hanc conditionem ovariorum plenitudinem corporis universalem efficere.

Certe scio, cum discederem a sententiis hujus viri clarissimi, ut homines arrogantiam, fortasse et ignorantiam mihi attribuent. Mihi vero non est consilium, si fieri possit aliquid detrudere nomini ejus, quem plurimi facio, et maximum et solertissimum medicum lubentissime agnosco. Non cupidus novi, sed rerum causas cognoscendi, ab illo dissentio. Et si in hoc erraverim, omnes bonos ac candidos iterum iterumque oratos volo, ut ne mihi vitio vertant, et me amore veritatis captum in errorem adductum esse meminissent.

Cum

Cum Professore Monrone, de hac re, doctissimo et ingeniosissimo Professori Jacobo Gregory in sententiis prælectionum suarum traditis, convenire placet. Putat ille quoque plenitudinem corporis, ex qua oritur mensium fluxus, quâdam conditione ovariorum effici. Sed quomodo fit hæc plenitudo in corpore, neque hic, neque ille demonstravit, et quomodo fiat, confiteor me omnino ignorare.

Diffidens animi hanc rem aggredior; namque bene scio meas vires eam tractare, ut vellem, non sufficere. Tamen nos oportet cavere ne addicemur in verba jurare ullius magistri; me enim judicante, multum est periculi, et haud ignarus sum, ut medici et philosophi nomina et auctoritates magnorum virorum pro validis rationibus sæpe adducunt, et nos opinionibus eorum magnis nominibus et auctoritatibus tantum firmatis assentire volunt. Non quidem est tyronis, sine ulla investigatione fidem habere sententiis aliorum. Si enim res ita esset, vera scientia semper fuisset inculta: de circulatione sanguinis, de curatione variolæ, aut de vasis lymphaticis, nostras ad aures nihil unquam pervenisset.

Nunc igitur in animo est mihi meas sententias, de mensium causis, proferre ut alios majore ingenii acumine dotibusque animi præstantioribus præditos

operam dare huic rei investigandæ, excitem. Quamvis enim nonnulli putaverunt rem tam obscuram nunquam in lucem proferri posse; tamen sperare possum, tempus non multum abesse quum erit manifesta; et fortasse invenietur, menses oriri ex conditione ovariorum fæcundante, quæ est stimulo arteriis uteri ex quibus iste humor fecernitur.

Multa quidem animum ad hanc opinionem ducunt. Nullas novimus puellas viro tempestivas quibus menses non accederint. Aliis quoque animalibus lex est hujusmodi*.

In priore parte hujus opusculi, jam observari menstruum sanguinem non esse coagulabilem more sanguinis sinceri, et huic sanguini nullam habere similitudinem nisi rubedini ejus. De hac re, autem, nunquam mihi dabatur occasio ulla experimenta faciendi. Ex experimentis ab aliis institutis hoc accepi. Quamvis autem sanguis menstruus esset sincerus, ex hoc demonstrari non potest, plenitudinem adesse, vel quomodo arteriæ uterinæ partem sanguinis a generali massa separare possunt.

Si vox plethora audit justam et ratam sanguinis quantitatem, quæ distensionem et actionem vasorum ne-

* Vide Spalanzani.

cessaria est, non ut vulgo significat, conditionem corporis morbidam, in hoc sensu vox est absurda. Plethora in posteriore sensu tantum notat conditionem morbidam et laxitatem solidorum corporis indicat. Si accuratius dicere volumus *vi* aut *stimulo* uti debemus, quo facilius lis dirimi possit.

Satis constat, actiones omnium arteriarum a sanguine in iis contento ex toto pendere. Iis sanguis est stimulo, quo functiones earum rite præsent. Hæc quantitas sanguinis vasa stimulat in eodem modo ut calor, et hæc quantitas sola necessaria est ovaria stimulare ad munera propria perficienda. Ovaria sunt stimulo arteriis uterinis quæ humorem menstruum fecernunt.

Quo tempore primum menses erumpunt puellis, pubes venit, mammæ turgent, incalescit uterus, genitalia suis functionibus apta sunt, quæ omnia nobis sunt certissimis signis jam esse viro maturas. Si quando, ut supradixi, fluxus sanguinis per uterum impeditur, fluxus est ex ventriculo, pulmonibus, oculis, aliisque corporis partibus. De his autem mox fusius dicam. Nunc pauca de recursibus mensium periodicis proferam.

Plura dicere, de opinione eorum qui mensium fluxum a lunæ imperio pendere putaverunt, super-
vacaneum

vacaneum est. Quod dicendum est, de plenitudine partiali, æque ad universalem spectat. Omnes enim affectiones hujusmodi primo partiales, tandem fiunt universales. De hisce igitur opinionibus, hoc in loco, simul agere in animo est; utpote sunt opinioniones omnium fere medicorum, nonnulli quorum ante tempus Culleni plenitudinem esse corporis universalem demonstrare conati sunt.

Cullenus de plethora hypothesein finxit ingeniosam. Afferuit ille, primum mensium fluxum a densitate et firmitate arteriarum aliarum corporis partium, quæ sanguinem ad uterum determinant. Arteriæ uteri jam evoluti laxiores et infirmiores impetui sanguinis cedentes, tandem rumpuntur, et sanguis effunditur. Per intervallum mensis, alia est congestio, aliisque fluxus; atque ut solet accidere aliis hemorrhagiis, recursus hujus fluxus, certis intervallis, consuetudine confirmatus est.

Cullenus autem, quo fit, ut hic fluxus tam accurate recurrat mensis intervallo, aut omnibus fere foeminis in eâdem regione, eadem essent intervalla, non demonstravit: nec quidem demonstravit, quomodo fit recursus alicujus hemorrhagiæ certis intervallis.

Verbi gratia, fingamus plenitudinem adesse, atque octo uncias sanguinis per mensis spatium accumulari, et ex utero fluere. Cum ratione conveniet, si sexdecim unciae sanguinis, die decimo quarto ante tempus solitum, per venæ sectionem auferantur, non erit fluxus antequam duo menses elapsi fuerint, vel mensis cum semisse. Si igitur causa hujus fluxus occasionalis ex congestione per mensis spatium factâ originem habet; duplici sanguinis quantitate per mensis intervallum detractâ, triplex fere temporis spatium elabi ante alium fluxum, necesse erit: quippe quod tempus duorum mensium ad congerendam sanguinis quantitatem detractioe missam requiritur, et prius pars tertii mensis elapsa fuerit, quam congestio et fluxus iterum acciderent. Sanguis autem, hoc modo, missus, neque tempus neque quantitatem mutare potest. Medicus Simpson, ni fallor memoriæ tradidit, decem libras per venæ sectionem missas, quantitate et intervallis menstrui fluxus iisdem manentibus.

Ex his igitur, ut mihi videtur, menses a plenitudine corporis non pendere, manifestum est. Aliud autem est argumentum ex eo quod accidit foeminæ cui per errorem ovaria excidit Percival Pott. Ante hoc tempus huic foeminæ menses rite et copiose fluxerant. Postquam autem res tam infelix evenerat, mammæ subsiderunt, omniaque signa solita mensium

mensium fluxum comitantia desiverunt, seque nunquam postea ostenderunt. Hisce igitur animo volventibus, dubitare non possum, quin menses magis pendeant a conditione ovariorum quæ est stimulo utero, quam a plenitudine corporis.

Nunc quomodo redeunt menses certissimis intervallis explicare oportet: Confiteor tamen, ut rationem hujus rei obscuræ satis validam reddere non possum; quamvis me habeo persuasum ut explicari possit, et rationem non multum abesse. Cur non redeunt gratæ vices diei noctisque intervallo hebdomadis vel mensis et non diei? Quia legibus hominibus aliisque animalibus impositis, stimulus, ad suas functiones perficiendas necessarius, paucis horis diminuitur; et quies et sopor ad eum reficiendum singulis diebus, requiruntur. Eâdem ratione, hic fluxus singulis mensibus contingit fœminis. Si enim semel per anni spatium tantum accidisset, gaudia hominis multum imminuta essent, et si nunquam accidisset, fœminæ nunquam uterum gessissent: quia mensium fluxus ad discernendos humores fœcundos necessarius est. In aliis animalibus humor istiusmodi qui ex utero fluit non omnino deest.

Quo fit ut arteriæ uterinæ per paucas dies singulorum mensium hunc humorem peculiarem discernunt?

cernunt? Eodem modo quo fecernitur lac ex arteriis mammarum post omnem partum. Putant nonnulli rem esse supra fidem tantum hujus humoris ex arteriis uteri fecerni, quantum paucis diebus ex utero fluit. Non mirum est, si credere possumus quantum feminis fecernitur ex spermaticis canis pro rato tempore in coitu.

Menses, ut observatum fuit a nonnullis auctoribus ex aliis corporis partibus fluxerunt; eodemque modo, quibusdam in casibus, bilis per vesicam transit. Hic, hepatis, ille, uteri, morbidam conditionem demonstrat. Interdum quoque bilis per ductum cholidochum impediatur.

Nunc pauca dicenda sunt, cur menses circiter annum ætatis quadragesimum quentum vel quinquagesimum omnino desinunt. Qui opinati sunt menses ex plenitudine oriri, quædam argumenta hoc ex fonte deduxerunt. Illi putant, menses cessare hoc tempore, ex firmitate arteriarum uteri quæ sanguinis impetui resistunt. Vix credere possumus, arterias omnium foeminarum eodem tempore ætatis, æque esse firmas ac densas, aut fieri minus capaces quo sanguinis fluxum impediunt. Haud quidem verisimile est. Alia ex causa oritur, ut mihi videtur, nempe, quia, hoc tempore, ovaria conditionem fecundantem omnino amittunt. Nam-

que providens natura posuit legem, ut menses fluere cessarent, et ovaria conditionem quæ est stimulo utero amitterent, cum mulieres non diutius nutrimentum fætui præbere possunt.

De Causa Finali.

ADHUC quidem in dubio est, quibus usibus inserviant menses. Multi putant esse nutrimento fætui. Nonnulli, tum veteres, tum recentiores, hanc opinionem protulerunt. Quia menses desinunt, dum uterus est gravidus, putatur, sanguinem qui erumpere solebat, per mensium fluxum pro nutritione embryonis, deteneri.

Per aliquod temporis, postquam mulier conceperit fætus in utero fabæ aut vespæ vix æqualis est magnitudine. Hoc tempore igitur minima nutrimenti quantitas satis esset. Quo vadet nunc ista pars sanguinis quæ nutrimento fætus superest? Si sanguis menstruus huic usui dicatus fuerit, principio graviditatis nimis abundaret, ad finem vero multum deficeret. Sunt autem multa alia animalia quæ menses non habent; tamen fætus eorum non orbantur nutrimento. Cur igitur auctores crediderunt, menses esse nutrimento fætui in humano genere, cum aliter res se habet in aliis animalibus? Ratio in promptu est, quia veras mensium causas non investigarunt.

Quidam

Quidam auctores putaverunt menstruum sanguinem esse foedum et perniciosum. In legibus Leviticis, de hac re, nonnulla sunt præcepta. Hac vero, ut mihi videtur, ad munditias populi istius, quam ad aliquid immundum vel lethale in menstruo sanguine magis spectant.

Igitur, ut res mihi apparet, consilium est naturæ in mensibus ciendis, ut certa sint signa uterum esse maturum. Ex hoc explicare possumus, cur menses desinunt, dum uterum gerit mulier; quia hoc tempore, ovaria amittunt conditionem fæcundantem, quæ est stimulo arteriis uteri. Itaque menses tempore graviditatis omnino desinunt, nisi in paucissimis casibus hisque morbidis.

Quam finem dicendi fecerim, ante meo amico et socio Joanni Thomæ Shaaf medicinæ Doctori aliisque omnibus amicis maximas agam gratias, ob multa et magna beneficia in me collata.

“ Ante leves ergo pascentur in æthere cervi

“ Et freta destituent nudos in littore pisces

“ Ante pererratis amborum finibus, exul

“ Aut Ararim Parthus bibet, aut Germania Tigrim

“ Quam nostro pectore labatur vestra benignitas.”

TANTUM.